

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

DE LIBRO VITAE, IN QVARTVM IESAIAE CAPVT, IN EA VERBA ET FIET, VT, qui
reliquus fuerit in Sion, & qui residuus fuerit in Jerusalem, Sanctus vocetur:
omnis (scilicet) qui Hierosolymis ad vitam ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

TAmetsi quæ sequitur tractatio de libro Vitæ, ea in libris quoque de Natura Dei explicata est: Duabus tamen de causis nequaquam hic eam praterundam esse duximus: tum ut quæ ad controuersiam illam Argentinensem pertinebant, ea omnia in unum corpus collecta, posteritati integra permanant: tum etiam quia nonnulla minimè contemnenda hic continentur, quæ in libris de Natura Dei, ideo ommissa fuerunt, quia ad illud nostrum de attributis Dei institutum non pertinebant. Boni ergo consulas Lector hanc nostram repetitionem, te etiam atque etiam rogamus.

DE LIBRO VITÆ, IN QVARTVM
IESAIAE CAPVT, IN EA VERBA: ET FIET, VT,
*qui reliquus fuerit in Sion, & qui residuus fuerit in Ierusalem,
Sanctus vocetur: omnis (scilicet) qui Hierosolymis
ad vitam scriptus fuerit.*



INE vlla controuersia alludit Propheta ad librum illum vitæ, de quo prius Moses mentionem fecerat in lib. Exod. cap. 32. cum dixit: Domine, nunc remitte peccatum hoc eorum: aut si non vis (remittere) expunge me de libro tuo quem scripsisti, id est, de libro vitæ: vt omnes interpretantur.

Quoniam autem de hoc libro vitæ, mentio fit sæpius in Scripturis (vt Exod. 32. quem locum iam citavi. Psalm. 69. imprecatur suis & Dei hostibus exitium æternum, & ait: Deleantur de libro viuientium, & cum iustis non scribantur. Psal. 139. In libro tuo omnes scripti erant. Daniel. 12. loquens Michaël angelus Danieli, de strage quæ futura erat per Antichristum, ait: Et in tempore illo seruabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Ezech. 13. loco libri vitæ, habet Scripturam domus Israel. Etiam in Nouo testamento sæpius. Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis: id est, in libro vitæ. Philip. 4. Sanè rogo & te socie germane, adiuua eas quæ in Euangelio decertarunt mecum, vnà cum Clemente quoque, & reliquis cooperatoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitæ. Apocal. 3. Non delebo nomen eius de libro vitæ. Item 20. Et alius liber apertus est, qui est liber vitæ. Item: Qui non est scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum. Item 21. Non intrabit in eam ciuitatem aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.) Quandoquidem igitur sæpius mentio occurrit huius libri in Scripturis, occasione accepta ab hoc loco Iesaiæ, de hoc libro tres mihi Quæstiones explicandæ sunt. Prima: Quid sit iste liber. Ad intelligentiam verò huius loci Iesaiæ, explicatio hæc necessaria est. Secunda Quæstio: An qui semel scripti sunt in libro illo, possint inde deleri. Quæstio hæc explicabitur: quoniam sæpius legimus in Scripturis, vt in Exod. & in Psalmis, precari sanctos, vt ex libro illo aliqui expungantur. Contrà Iesaias, dum hic ait, omnes illos qui scripti sunt ad vitam (iuxta priorem interpretationem) fore sanctos: videtur innuere, non posse eos qui scripti sunt in libro vitæ, non fieri sanctos: & non posse non viuere, ideoque non posse inde deleri. Tertia Quæstio: Cum Deus non solum ad vitam multos prædestinarit, vnde fit vt in libro vitæ scripti dicantur: sed alios etiam ad mortem ordinarit: cur horum causa non traditus fuit in sacris literis etiam liber mortis?

Quod ad primam attinet: illud primùm nos non latet, Deo nullum esse librum materiale, in quo scribat: sed cum attribuitur liber aliquis Deo, illum metaphoricè esse accipiendum, pro firma certaue Dei notitia, quam de nobis nostrisque rebus & actionibus habet, atque ab æterno habuit. Sicut enim nos in libro scribimus ea quæ nouimus: & ideo scribimus, vt quoniam memoria facile excide-

rent, firmiter eorum notitiam in libro saltem aliquo retineamus: ita iuxta hanc metaphoram certa firmaque & æterna Dei de nobis, nostrisque rebus & actionibus præscientia, quin etiam certum firmumque decretum & præscientia eorum quæ ipse facturusest, liber Dei appellatur. Sic Augustinus & alij omnes interpretantur librum Dei: id est, præscientiam Dei.

Tres autem libros lego in Scripturis Dei attribui. Vnus est, in quo scripti fuisse dicuntur omnes homines, eorumque nomina, antequam etiam nascerentur: omnes inquam homines, qui vnquam nascituri erant. Huius libri meminit Dauid Psal. 139. vers. 16. loquens ibi de prouidentia Dei, qua omnia, antequam fiant, præuidit, ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis. Sic habet vulgata editio. Quamquam variè vertatur hic versus: hæc tamen mihi placet: Informem massam meam (id est embryonem) viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes conscripti (scilicet homines erant) cum dies formarentur, & ne vnus quidem in eis esset. Quasi dicat: Quid dico quod me, cum formarer in vtero, præuideris? Immo cum dies initio mundi formarentur, & ne vllus quidem hominum adhuc (in viuis) esset, omnes scripti erant in libro tuo: id est, omnes tibi notissimi, & in præscientia præuisi, acceu in libro quodam conscripti erant. Hic liber pertinet ad prouidentiam, & nihil est nisi præscientia, qua Deus præuidit ab æterno homines omnes, eorum nomina, & quæcunque acturi erant.

Secundus liber est, in quo scribi dicuntur omnes homines iam nati, & quæcunque agunt: vt secundum sua quisque facta, etiam iudicetur. De hoc Iohannes in Apoc. 20. loquens de iudicio illo vniuersali, in quo omnes secundum sua ipsorum facta iudicabuntur, ait: Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex ijs quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Id est, aperti sunt libri, in quibus singuli, singulorumque nomina & acta, quæ viui gesserant, scripta erant. Hic liber nihil est aliud, quam cognitio, quam Deus habet eorum omnium, quæ quisque gessit: vt secundum ea iudicetur: quare pertinet ad iudicium vniuersale Dei: & est ceu liber iudicis, in quo scribuntur rei, & omnia illorum acta. Quamquam obiter hic etiam notandum est, in Apocalypsi 20. fieri mentionem cuiusdam libri, qui Liber Vitæ appellatur, cum dixisset: Vidi mortuos pusillos & magnos, stantes in conspectu throni: Postea subdidit: At alius liber apertus est, qui est vitæ. Augustinus Tom. 5. de Ciuitate Dei libro 20. cap. 14. sic exponit: Qui est vitæ, scilicet vniuscuiusque: Et esse hunc, diuersum librum à libro vitæ, scilicet æternæ: De quo in fine capitis ait Iohannes: Et missi sunt in stagnum, quicunque non fuerunt inuenti scripti in libro vitæ, scilicet prædestinationis. Quid est igitur liber ille vitæ vniuscuiusque? Augustinus loco suprâ citato, vult esse cognitionem, qua quisque (idque per vim Diuinam) in die iudicij cognoscet, quicquid in vita egit boni vel mali: propria erit conscientia. Quare hic liber pertinet ad hoc secundum genus librorum: id est, ad librum iudicij, de quo iam dixi: Verba Augustini hæc sunt: Et alius (inquit Iohannes) liber apertus est. Quædam igitur vis est intelligendi diuina, qua fiet, vt cuique opera sua bona vel mala, cuncta in memoriam reuocentur: & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & omnes & singuli iudicentur: quæ nimirum vis diuina, libri nomen accepit: in eo quippe quodammodo legitur, quicquid à faciente reconditur.

Tertius est liber, qui dicitur vitæ, scilicet æternæ: Sed hic etiam duplex est.

Vnus

Vnustemporalis: in quo aliqui scripti sunt ad vitam non perpetuò aut firmiter, sed ad tempus, secundum præsentem iustitiam, & apparentem, non veram in Christo inſitionem: è quo tandem excinduntur, ideoque ad vitam æternam non verè præſciti eſſe cognoscuntur: Id quod deleri de libro vitæ, Auguſtinus & alij interpretantur. De hoc Pſal. 69. Deleantur de libro viuentium: id eſt, Videntur quidem per hypocriſin, quia in Eccleſia ſunt, & in fœdere continentur, videntur inquam eſſe ſcripti in libro vitæ: Tu autem declara eos non eſſe ſcriptos in libro viuentium: id eſt, reſtege illorum *ὑποκρίσιν*: & ita cum iuſtis non ſcribatur, id eſt, non appareant amplius eſſe ſcripti. Hic liber hoc ſenſu non eſt liber ille vitæ, in quo Deus conſcriptos habet ſuos ad vitam: non enim agnoscuntur à Deo, tanquam ad vitam pertineant: ſed eſt liber potiùs, in quo (vt ita loquar) & Eccleſia & ipſi met ſe ſcripſerunt ad vitam: id eſt, eſt cognitio, qua Eccleſia illos in numero eorum qui ad vitam ſunt electi, habet & agnoſcit: idque propterea, quòd videt illos ſecundum externam vocationem & iuſtitiam in fœdere Dei de vita æterna contineri. Et eſt cognitio, vel opinio potiùs, qua ipſi quoque hypocritæ putant ſe ad vitam æternam pertinere: idque, quia cernunt ſe aliquam habere in Chriſtum (licet nunquam veram) fidem, & aliquam (licet hypocriticam) iuſtitiam. At vbi Deus illorum hypocriſin reſtegit, & palàm damnat: tum & Eccleſia, & ipſi met agnoscunt, ſe non fuiſſe in vero & æterno Dei libro ſcriptos: & tunc dicuntur deleri de libro. Quin etiam dici poteſt eſſe cognitio Dei, qua Deus ipſe videt eos ſecundum præſentem externam iuſtitiam, *contra deſis* quodammodo pertinere ad æternam vitam: quanquam ſecundum internam & veram iuſtitiam, nouit eos non pertinere ad vitam. Delentur autem de libro hoc, cum externam etiam iuſtitiam amittunt. Tunc enim nullo modo apparent ad æternam vitam pertinere.

Alter eſt liber æternus ipſius Dei: in quo firmiter & æternùm conſcripti ſunt ad vitam æternam, omnes verè filij Dei, idque ab æterno. De hoc Dan. 12. Philip. 4. Apocal. 20. 21. & de hoc etiam hie Ieſ. 4. loquitur.

Quid igitur eſt hic liber? Eſt illud: Nouit Dominus qui ſint ſui: Scimus librum appellari, vbi multa ſcribuntur. Multa enim ſcribi non poſſunt in vno folio, ſed in libro aliquo iuxta magnitudinis. Scimus etiam res ſcribi non ſolùm in chartis, ſed etiam in corde, in mente, in intellectu. Sic enim loquitur Apoſtolus 2. Corinth. cap. 3. Item Ieremias: Scribam leges meas in corda eorum. Librum igitur vitæ dico eſſe pectus ſeu mentem illam diuinam, in qua ab æterno iuxta ſuum propoſitum & definitum conſilium conſcripſit ipſemet Deus ad vitam æternam omnes, quos ſibi placuit eligere in filios, in fratres Chriſti, & conſortes cœleſtis regni: idque ex ſua pura gratia, & non ex meritis hominum præuiſis. Seu eſt (vt clariùs loquar) ipſa æterna & firma certorum hominum in mente Dei ad vitam æternam conſcriptio, ſeu electio & prædeſtinatio: quam indubitato ſequitur efficax vocatio, iuſtificatio & glorificatio: vt eſt ad Rom. 8. Seu eſt (vt breuiùs dicam) illa æterna Dei præſcientia, qua, quos ſuos eſſe voluit, ſemper agnoſcit & agnouit, de qua. 2. Timoth. 2. Nouit Dominus qui ſint ſui. Ideò ſæpius in Euangelio ait Chriſtus, ſe dicturum impijs: Non noui vos. De electis verò ait: Ego agnoſco eos. *Ierem. 31.*

Auguſtinus Tom. 5. de ciuitate Dei. lib. 20. cap. 15. exponens verba Iohannis Apocal. 20. Quinon inuenti ſunt ſcripti in libro vitæ, miſſi ſunt in ſtagnum ignis, &c. hæc ſcribit: Non Deum iſte liber commemorat (id eſt, liber iſte apertus non admonet Deum qui ſint ſeruandi) ſed prædeſtinationem ſignificat eorum quibus æterna dabitur vita. Neque enim nescit Deus eos, & in hoc libro legit vt ſciat: ſed potiùs ipſa eius præſcientia de illis, qui falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſunt ſcripti, id eſt, præcogniti.

Nunc (vt ad alteram quæstionem veniamus) cùm Moses Exod. 32. dicat, *Dele me seu expunge de libro*: & Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium*: quærunt omnes, An fieri possit, vt qui semel in libro illo vitæ æternæ scriptus fuit, expungi possit, ea ex eo possit: id est, Qui prædestinatus est ad vitam, possit perire:

Principiò, Sophistarum quorundam refero responsionem, qui hanc propositionem, Petrus (verbi gratia) ad vitam æternam electus, potest damnari (quod idem est ac si dicas, potest deleri de libro vitæ) dicunt in sensu (vt loquuntur) diuiso esse veram: in sensu verò composito, falsam. In sensu autem diuiso, intelligunt id, quod alij vocant, simpliciter: in sensu verò composito, id quod dicimus, ex suppositione. Ergo an prædestinatus ad salutem possit damnari, seu qui scriptus est in libro vitæ, possit inde expungi: dicendum esse contendunt. In sensu diuiso posse: nempe, Ille, qui est prædestinatus, si in seipso, absque eo, quòd sit prædestinatus, consideretur, potest damnari: quia non est simpliciter necessarium vt saluetur, sed tantùm ex suppositione, id quod est in sensu composito: hoc est, si ille qui est prædestinatus ad vitam, consideretur coniunctus cum sua prædestinatione, & ab illa non separetur, propositio est impossibilis, nempe, quòd qui est prædestinatus ad vitam, quatenus prædestinatus est, possit damnari. Hæc est illorum responsio.

Secundò: Catharinus nouum dogma commentus est. Is statuit, quosdam, eosque paucos, esse prædestinatos: hoc est, præ alijs ad æternam vitam singulariter electos. Et hos ita à Spiritu sancto per totam vitam regi, & in fide conseruari, vt ab ea nunquam excidant, multò minus ab æterna vita. donari enim hos perseuerantia in fide: quia ex sola prædestinatione hæc omnia dona habent, & consequenter æternam vitam. Hos igitur non posse vllò modo ex libro expungi. Reliquos homines non esse quidem prædestinatos ad salutem, sed neque tamen ita ab illa reiectos, vt nullo modo saluari possint, si velint. Omnibus enim offerri gratiam tãtam, quanta sit satis ad salutem consequendam. Ceterùm horum quosdam esse, qui gratiam oblatam nunquam recipiunt: hos igitur nunquam in libro conscribi. Alios autem esse, qui gratiam amplectantur ad tempus: sed eos tandem gratiam reijcere, & damnari. Hos igitur, cùm gratiam recipiunt, scribi in libro vitæ: cùm verò reijciunt, deleri de libro. Postremò, alios gratiam modò recipere, modò reijcere: sed tandem finaliter in gratia mori: hos igitur quoque, modò scribi, modò expungi. Ceterùm quia hoc est ipsius somnium, quosdam scilicet saluari, qui non sint prædestinati ad salutem: ideo eius responsionem reijcimus. Imò quoniam nos, cum de libro vitæ loquimur, prædestinationem intelligimus: & quos paucos esse dicit prædestinatos, nos dicimus esse omnes, qui saluatur: & de ipsius sententia, prædestinati è libro nunquã expunguntur: ideo cõcludimus, Quicunq; in libro vitæ scripti sunt, eos nunquã deleri.

Tertiò, referam responsionem Thomæ in prima parte, quæstion. 24. artic. 3. Liber vitæ (inquit) est conscriptio prædestinatorum ad vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus. Primò, ex prædestinatione diuina: & hæc ordinatio nunquam deficit. Secundò, ex gratia ordinatur aliquis ad vitam. Quicunque enim habet gratiam Dei, dignus est vita (per gratiam verò intelligit rem creatã in anima, donũ Spiritus S. non æternam beneuolentiam, & fauorem Dei:) & hæc ordinatio deficit interdum. deficiunt enim aliqui à gratia per peccatum mortale: & ita etiam deficiunt ab ordinatione, qua propter gratiam, quam habebant, ordinati erant ad vitam æternam. Hæc Thomas. Concludit: Illos igitur, qui ad vitam æternam sunt ordinati ex prædestinatione, non posse deleri de libro, nec amittere vitam æternam: Quare? Quia scripti sunt in libro simpliciter, ad vitam æternam ex prædestinatione Dei, quæ mutari non potest, habendam: (conclusio hæc vera est) Illi verò (inquit) qui ordinati sunt ad habendam vitam non ex prædestinatione, sed solum

lum

lum ex gratia deleri possunt: Quare? Quia non sunt scripti in libro simpliciter: id est, ad habendam vitam ex sola prædestinatione, quæ est immutabilis: sed secundum quid, id est, ad habendam vitam ex gratia, quæ amitti potest. In hac Thomæ responsione quædam sunt vera, quædam falsa.

Quod ait Thomas, qui sunt ex prædestinatione ad vitam æternam, ideoque scripti in libro vitæ, non posse ab illa ordinatione excidere, ideoque non posse de libro vitæ deleri: ut Christianè & pie dictum amplector. Quod verò ait, quosdam non ex prædestinatione, sed ex gratia ad vitam esse ordinatos: si intelligit de vera gratia, ut de vera fide, deque gratia veræ regenerationis, non admitto: Quia gratia hæc non potest contingere nisi prædestinatis, & effectus est prædestinationis. Quomodo igitur, qui non sunt ordinati ad vitam ex prædestinatione, ordinati esse possunt ex vera gratia, prædestinationis effecto? Si verò intelligit de gratia, ut de fide temporaria, quæ non est vera fides: tunc, quod ait ex gratia hac quosdam esse ad æternam vitam ordinatos, partim admitto, partim non admitto. Admitto, secundum præsentem iustitiam in facie Ecclesiæ: quatenus in Ecclesia multi videntur ex hac fide temporaria ad vitam ordinati, cum tamen non ita sint coram Deo. Non admitto autem, quia reuera neque coram Deo, neque à Deo ordinati fuerunt ad vitam æternam. Quare quod etiam subdit, hos deleri de libro vitæ: improprie dictum est, cum in ipso prædestinationis libro nunquam fuerint conscripti.

Vera & simplex responsio est, quam Augustinus, & alij post Augustinum Patres ex verbo Dei proferunt: Qui verè fuerunt in libro vitæ conscripti, eos nunquam inde deleri posse. Quod perinde est ac si dicas: Qui semel fuerunt prædestinati ad vitam æternam, ab illa non possunt in mortem æternam reijci. Hoc ita esse, infinita testimonia Scripturarum euincunt. Quæ singula recitare, operæ precium non est in præsentia: duo aut tria sufficiant. Iohan. 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras, sed resuscitabo illum in nouissimo die. Dedit autem Pater Christo, electos in prædestinatione, cum illos prædestinauit in Christo ad vitam æternam. Veniunt ad Christum, per fidem: non eijciuntur foras, quia perseverantiæ donum accipiunt, & manent semper cum Christo: non igitur possunt perire. Iohan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & nemo potest rapere eas de manu mea. Hic locus etiam apertus est.

Sed locus ad Rom. 8. omnem tollit dubitationem, cum ait: Quos præsciuit, eosdem & præfiniuit conformes fieri imaginis Filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Porro quos præfiniuit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit. Quatuor annuli sunt vnius cathenæ, quæ è cælo demissa, Pater in cælum trahit electos: annuli inquam quatuor indissolubiles. Primus est, prædestinatio ad vitam in Christo: Secundus, vocatio efficax ad Christum: Tertius, iustificatio per Christum: Quartus, glorificatio cum Christo. Glorificatio igitur, quæ futura est in vita æterna, separari non potest à primo annulo, neque primus ab ultimo. Quare prædestinati perire non possunt. Huiusce verò conclusionis ratio est, quam Paulus docet Rom. 11. Dona Dei & vocatio sunt sine pœnitentia: Ergo multò magis prædestinatio est sine pœnitentia. Ideo Augustinus Tom. 8. in Psalm. 68. exponens verba, Deleantur de libro viventium, ait: Fratres, non sic accipere debemus, quòd quenquam Deus scribat in libro vitæ, & deleat illum. Si homo (Pilatus) dixit, Quod scripsi, scripsi: (de titulo, ubi scriptum erat, Rex Iudæorum:) Deus quenquam scribit, & delet? Præsciusest, prædestinauit omnes ante constitutionem mundi, regnatos cum Filio suo in vita æterna. Hos, quos conscripsit, ipsos continet liber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? Consentient illi (inquit) omnes, qui non sunt

scripti in libro vitæ. Preinde sine dubitatione non erunt consensuri, qui scripti sunt. Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum: quia ibi se scriptos putabant. Quid est, Deleantur de libro vitæ? ut ipsis constet, non illos ibi esse. Ex hac locutione dictum est in alio Psalmo: Cadent à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis: id est, multi scandalizabuntur, etiam ex eorum numero, qui se sperabant staturos ad dexteram tuam, separati ab hædis sinistris: non quia cum ibi steterit aliquis, postea cadet, aut cum sederit cum illo quisquam, abijcietur: sed quia multi casuri erant in scandalum, qui iam ibi se esse putabant: id est, multi qui sperabant sessuros se tecum, multi qui sperauerant staturos ad dexteram, ipsi casuri sunt. Sic ergo & hic, illi qui se sperabant tanquam merito iustitiæ suæ in libro Dei scriptos, quibus dicitur, Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: cum perducta fuerit damnatio eorum, etiam ad cognitionem illorum, delebuntur de libro viuentium: id est, non ibi se esse cognoscent. Nam versus qui sequitur, exponit quod dictum est: Et cum iustis non scribantur. Dixi ergo, deleantur secundum spem eorum: Secundum autem æquitatem tuam, quid dico? Non scribantur. Hæc ille. Non ergo possunt deleri. Etenim si adduci Deus posset ad eos delendos: nulla re adduceretur, nisi peccatis ipsorum. non est enim alia causa expunctionis, nisi peccatum. At sicut Deus non potuit impediri à peccatis electorum præuisis, quin illos elegerit ad vitam, & in libro vitæ conscripserit: ita propter eadem peccata non potest adduci, ut illos è libro vitæ expungat, quos semel ibi gratis pro sua tantum gratia conscripsit. Imò quia conscripti sunt ad vitam, etiam à Deo custodiuntur, ne ita peccent, sicut reprobi peccant: hoc est, ex animo, & destinata malitia, & pertinaciter ac perseveranter, ita ut tandem damnari cogantur. Quia igitur gratis secundum suum beneplacitum elegit & scripsit nos in libro vitæ: ideo certa & firma est nostra salus: & ex libro isto nullo modo expungi possumus, quicumque ibi sumus conscripti. Hæc est conclusio Responsionis ad hanc quæstionem, quæ certa & perspicua est. Ideo Iesaias (iuxta priorem interpretationem huius contextus) ait sanctos fore, quicumque scripti sunt ad vitam: id est, necessariò erunt sancti, & viuent: quia scripti in libro vitæ.

1. Joh. 5.

At, quomodo igitur intelligendi sunt loci ex Exodo & Psalmis adducti, Dele me de libro: item, Deleantur de libro viuentium? Accipite modò horum locorum explicationem.

Quod ad locum Exodi attinet, varîe hunc exposuerunt interpretes. Primò: Rabbi Sapheradi (ut Munsterus refert) ait Mosen locutum fuisse de libro legis, qui dicitur liber vitæ: eò quòd præcepta vitæ contineat. Petijt igitur à Deo, secundum hunc Rabinum, ut si nollet populo parcere, se deleret de libro legis, ut nulla vnquam sui memoria in lege ampliùs extaret: Quasi dicat: si tu non vis parcere populo, sed illum perdere, quia legem hanc, quam mihi dedisti, iam transgressus est: ego nolo ampliùs nominari in hac tua lege, & illam populo promulgare: quasi ego hac seuera lege sim autor, ut totus populus perdatur. Dele me ergo de libro legis potius.

Secundò: Alij Mosen loquutum fuisse sentiunt, non de libro vitæ æternæ, sed de libro vitæ præsentis. Quasi dicat: si tu vis populum hunc ob hoc peccatum perdere, ego malo mori, quàm videre tantam populi huius calamitatem & stragem. Aut igitur populo parce: aut me vnà cum populo interfice. Satiùs fuerit, ut ego moriar, quàm ut tantum populum in fœdus tuum adscriptum, & tot miraculis ex Aegypto liberatum, cum perpetua tui nominis ignominia in hoc Arabum deserto perire videam. Quid enim dicet mundus? Te & me hunc populum seduxisse, & ceu oves ad macellum adduxisse. Ergo potius me dele de libro præsentis

vitæ,

vitæ, quàm vt finas me tanti populi stragem atque exitium videre. Iuxta hanc expositionem videtur indicari à Mose liber, in quo vita vniuscuiusque scripta sit: seu, quot quisque annis, aut mensibus & diebus viuere debeat: Et videtur petere, vt sibi potius maturetur mors, quàm vt finatur interitum tanti populi videre.

Tertiò: Quidam de libro vitæ æternæ intelligunt locum: sed Mosen cum conditione locutum aiunt, quam tamen locum habere non posse sciebat. Ait enim: Dimitte eis hanc noxam: aut si non vis (scilicet remittere, sed penitus perdere) expunge me de libro vitæ æternæ. Iam Moses (inquiunt) certò sciebat, Deum non perditurum totum populum, quem iam in fœdus suum asciuerat: propterea quod fidem Dei irritam facere non poterant peccata populi. Cum igitur conditionaliter loquatur, Si non vis parcere: sciat autem certò, Deum nolle populum perdere: iccirco dicens, Aut dele me, nihil petijt: & hac locutione non indicat fieri posse, vt quis è libro vitæ deleatur. At ait ibi apertè Deus, respondens Mose: Qui deliquerit in me, delebo ego eum de libro vitæ. Peccata igitur populi possunt mouere Deum, vt fidem datam non præstet: & vt deleat è vitæ libro eos, qui ibi conscripti sunt?

Respondeo: Nomine libri vitæ intellexit fœdus, quod cum toto corpore illius populi pepigerat Deus. Id electis futurum erat perpetuum & ab eo fœdere non poterant excidere: illi enim erant verum semen Abrahæ: Reprobis verò, temporarium: quia sua infidelitate erant inde abscindendi, vt Apostolus docet Ro. II. nec tamen propterea fœdus futurum erat irritum, nec fides Dei poterat fieri irrita: quia in electis mansurum erat firmum. De libro igitur huius fœderis loquitur: non libro vitæ, id est prædestinationis: Et de reprobis, non de electis intelligebat Dominus. Quod si quis contendat, eum loqui de libro prædestinationis, & non tantum de reprobis, sed etiam de electis: tunc dicam, etiam nihil hac locutione concludi, cum sit conditionalis. Est enim sensus: si quis deliquerit, scilicet, ita, vt me penitus deserat, & toto corde in me peccet, ita vt ad me per poenitentiam non redeat: delebo eum. Atqui hoc modo non possunt peccare illi, qui in libro vitæ æternæ scripti sunt. nam deijs Ierem. ait: Scribam in corda eorum legem meam, & Ierem. 31. timorem meum dabo in corda eorum, vt non recedant à me. Immo Moses ipse e- & 32. lectis ex populo ait Deut. 30. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor se- Deut. 30. minis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quare neque verba hæc conditionaliter prolata concludunt, scriptos in libro æternæ prædestinationis, inde expungi posse.

Quartò: Alij interpretantur quidem de libro vitæ æternæ: sed Mosen præ maxima charitate erga populum, & pro zelo gloriæ Dei, quam videbat periclitari, si tantus populus deleretur, κατ' ἀδυσπῶν locutum fuisse, & optasse (id quod tamen sciebat fieri non posse) se potius damnari in mortem æternam, quàm vt tantus populus perderetur, & simul gloria Dei periclitaretur. Quare Mosen his verbis nequaquam indicasse, posse quempiam è libro vitæ, in quo semel est scriptus, deleri: cum locutus sit κατ' ἀδυσπῶν. Quasi dicat: Si fieri potest (id quod non potest) dele me potius de libro vitæ, quàm vt populus iste perdatur: Sicut & Paulus Rom. 9. optauit anathema esse à Christo, pro fratribus.

Quintò: Alij volunt Mosen nomine libri vitæ intellexisse catalogum populi Dei, seminis Abrahæ, seu illam fœderis communicationem, à qua exclusæ erant gentes: & in qua omnes Iudæi, etiam non prædestinati, comprehendebantur. erat enim ceu liber, in quo scripti omnes Iudæi, vt in familia Dei censerentur. Quasi dicat Moyse: Si non vis, ô Deus, parcere populo, sed illū à cōmunionem fœderis tui reijcere: dele etiam me de libro hoc, id est, de cōmunionem fœderis tui: expunge me ex albo &

libro populi tui. Hæc expositio simplicior est. Dominus enim statim respondet Moyli: Qui peccauerit in me, hunc ego expungam è meo libro. Quasi dicat: Non expungam, non excludam à communionem fœderis mei, nisi illos qui peccauerint in me. Illi enim non erunt participes vitæ, quam in fœdere meo promisi: illique
Ezech. 18. non censébuntur in meum populum & familiam. Huc spectat & illud Ezech. Si iustus auerterit se à sua iustitia, & fecerit iniquitates, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecit, in recordationem non venient. Hoc est deleri è libro vitæ, non censi amplius in familiam Dei, in communionem sanctorum, in fœderis diuini communicationem, in qua antea continebatur, & ceu scriptus videbatur: id quod fit propter peccata, infidelitatem, & defectionem à Deo.

Ezech. 13. Huic expositioni videtur fauere illud Ezech. In arcano populi mei non erunt, & in Scriptura (id est, in catalogo) domus Israël non scribentur. Cum igitur iuxta hanc interpretationem Moses non loquatur de libro prædestinationis ad vitam æternam: ideo ex hoc loco Moylis non potest concludi, deleri quempiam posse ex libro electionis.

Quocunque modo exponamus hunc locum: videmus hinc non consequi, quòd quis possit deleri è libro prædestinationis, in quo semel conscriptus est.

Sed quid ad locum Psalmi: Deleantur de libro viuientium, & cum iustis non scribantur?

Hic etiam locus potest sic exponi, sicut locum Exodi, postremò declarauimus. Loquitur Dauid de Iudæis hypocritis, qui etiam ipsi in familia Dei censebantur, & participes erant diuini fœderis, vnà cum sanctis. Cum autem impij essent, & inimici Dei: propterea precatur Deum Dauid, vt illos expellat à consortio sanctorum, eiiciatque ex hac fœderis communionem: ne vllam cum iustis, id est, cum populo Dei, habeant communionem. Et hoc est deleri è libro vitæ, & cum iustis non scribi. Et hæc etiam simplex est expositio: vt idem sit liber viuientium & iustorum, id est, fœdus Dei.

Quidam tamen volunt, diuersum esse librum viuientium à libro iustorum. Videntur velle, librum viuientium esse fœdus, quod Deus in Veteri testamento cum Patribus pepigit: Quod ideo viuientium liber dicitur, quia qui fecerit hæc, viuet in eis. Iustorum verò librum, fœdus Noui testamenti: quod certè adiunctam habet prædestinationem æternam, vt fundamentum: Quod etiam ideo liber iustorum dicitur, quia per fidem Noui testamenti iustificamur. Impij ergo illi, de quibus Propheta loquitur, deleti sunt de primo libro, quia legem non seruauerunt: nec sunt scripti in secundo, quia nunquam crediderunt in Christum, nec sunt electi ad vitam æternam. Ab hac non videtur dissentire Hieronymus, qui Tom. 8. hunc locum exponens, ita ait: Duos hîc libros indicat scriptos, viuientium, & iustorum: in quo ante aduentum Dei, Prophetæ ac Patriarchæ scripti sunt: de quo Moses peccante populo ait, Si non dimittes eis noxam, dele me de libro tuo. Iustorum verò dicit illum, de quo Dominus ad eos, qui per fidem sunt secuti, ait: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Persecutores ergo isti, & à primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt scripti. Hæc Hieronymus: in Psal. 68.

Augustinus Tom. 8. exponit aliter hunc locum. Sensus secundum Augustini interpretationem, hic est: Domine damna & perde hos impios hypocritas, qui se putant scriptos esse in libro vitæ, & cum sanctis esse connumeratos: & ita declara, eos non esse scriptos in libro vitæ, neque cum iustis conscriptos. Quare deleri aliquem è libro vitæ, est, declarari illum non esse scriptum in libro vitæ. Verba Augustini superius recitata sunt.

Stat igitur firma conclusio: Ex libro vitæ neminem, qui ibi scriptus sit à Deo ante mundi constitutionem, expungi posse. Nunc addo: Neque quempiam, præter eos, qui in eo scripti sunt ante mundi constitutionem, posse eo in libro conscribi. Clausus est liber, obfirmatusque signaculis: in die iudicii aperietur, ut qui scripti sunt legantur.

Augustinus de Corrupt. & Gratia cap. 13. Hæc de ijs loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei: quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.

At Deuter. 1. Dominus Deus noster addat ad hunc numerum multa millia: ubi Glossa ait, Ad hunc numerum, id est, definitum apud Deum: Novit qui sunt eius, qui numerat multitudinem stellarum.

Respondeo: non loquitur de numero prædestinatorum, sed de numero populi, id est, eorum qui in fœdere Dei num erabantur, secundum præsentem iustitiam, non secundum æternam prædestinationem. Ac de secunda Quæstione satis.

Ad Quæstionem tertiam: Si liber vitæ est præscientia diuina eorum, qui ad vitam sunt conscripti, id est, electi: Deus autem non solum præsciuit electos, sed etiam reprobos, qui & quot essent damnandi: Cur igitur in Scripturis non statuitur etiam liber mortis, seu illorum, qui ad mortem sunt destinati?

Respondeo, Metaphora, iuxta quam præscientia electorum dicitur liber vitæ, non fert, ut præscientia reprobatorum appelletur liber mortis: apud nos enim non consueverunt unquam conscribi, nisi illi qui eliguntur, non autem illi qui reiiciuntur. Exempla habes in militia, & in senatoribus. Cum Imperator aliquis exercitum colligit, non solet conscribere nisi eos, qui eliguntur in milites: reliqui non scribuntur. Itacum colligitur Senatus, illi tantum conscribuntur, qui in Senatores eliguntur: reliqui ciues minimè. Ita etiam apud Deum, non dicuntur scripti, nisi illi qui sunt ad vitam electi: reliqui in sua morte sinuntur, negligunturque.

De gradibus nostræ salutis: atque in primis de Gratia Dei: in ea verba Iesaiæ Cap. 4.

In die illa erit germen Domini, &c.



DIXIMVS, in hac promissione summam & gradus salutis nostræ contineri. Quorum primus est, ipsa gratia Christi, seu gratia Dei in Christo: Secundus, prædestinatio, seu conscriptio ad vitam æternam: Tertius, vocatio ad Christum & ad sanctitatem. Quartus, iustificatio, seu remissio peccatorum, ablutio à sordibus: quam consequitur sanctificatio & reformatio. Quintus, ipsa perpetua Dei gubernatio: quam consequitur æterna pax, vita, glorificatio.

Nunc, ut de singulis capitibus quàm breuissimè aliquid dicamus: dicendum primum est de gratia Dei in Christo, eatenus tantum, quatenus facit ad hos gradus explicandos.

Gratia (quod ad eius notationem attinet) ita propriè appellatur, eo quod gratis detur: ut Augustinus in Epistola ad Sixtum presbyterum, & alibi sæpius docet.